

Paulus Episcopus Servus Servorum Dei.

Dilecto filio Roberto tituli sanctae Mariae in Via presbitero Cardinali Bellarmino nuncupato salutem, et Apostolicam benedictionem. Ad personam tuam quam divina clementia magnis illustravit gratia-
rum muneribus, paterne dirigentes considerationis intuitum, et at-
tente prospicientes, quod tu Romanam Ecclesiam, cuius honorabile
membrum existis, tuorum honoras plenius magnitudine meritorum, di-
gnum, quin potius debitum reputamus, ut illam tibi reperias in ex-
hibitione gratiarum munificam, et in tuis opportunitatibus libera-
lem. Cum itaque hodie tu regimini, et administrationi ecclesiae Ca-
puanae, cui tunc ex dispensatione Apostolica praeeras, in manibus
nostris sponte, et libere cesseris, nosque cessionem huiusmodi ad-
mittentes, eidem ecclesiae per cessionem huiusmodi apud Sedem Apo-
stolicam pastoris solatio destitutae, de persona dilecti filii An-
tonii electi Capuan. Nobis, et fratribus nostris ob suorum exigen-
tiam meritorum, accepta de fratum eorumdem consilio Apostolica a
authoritate per alias nostras literas providerimus, prout in dictis
tis literis plenius continetur; Nos qui dudum inter alia volui-
mus, et ordinavimus, quod literae preservationis, etiam motu proprio
rio cuiusvis pensionis annuae super alicuius beneficii fructibus
expediri non possent, nisi de consensu illius, qui pensionem prae-
dictam persolvere tunc haberet, quique etiam hodie pensionem annu-
am mille scutorum monetae certis modo, et forma tunc expressis libe-
ram, immunem, et exemptam dudum dicto Antonio electo super monaste-
ris abbatiae nuncupati Beati^{ae} Mariae de Nonantula Sancti Benedic-
ti, vel alterius ordinis nullius dioecesis provinciae Bononien.
seu Revennaten. quod dilectus filius noster Alexander Mattheius
clericus Romanus, ac noster, et Sedis Apostolicae notarius de numero
participantium in commendam ad eius vitam ex concessione Apostoli-
ca obtinet, fructibus, redditibus, et proventibus eidem Antonio, quo-
ad viveret, vel procuratori suo, ad hoc ab eo speciale mandatum ha-
bente per dictum Alexandrum, et successores dictum monasterium, ut

/ praefertur, aut alias pro tempore quomodolibet obtinentes annis singulis pro una videlicet in Domini Nostri Iesu Christi, et altera medietatibus pensionis mille scutorum huiusmodi in Beati Ioannis Baptistae Nativitatem festivitatibus Romae integre persolvendam dicta

5 authoritate reservatam, constitutam, et assignatam, ipsius Antonis expresso ad id accedente consensu, Apostolica authoritate cassavimus, penitusque extinximus, et annullavimus, ac cassatam, extinctam, et annullatam esse, et fore, dictumque Antonium pensionem praefatam ab eodem Alexandro, et successoribus praefatis de caetero nullatenus petere, aut praetendere posse, ipsumque Alexandrum, minusque successores praefatos ad solutionem dictae pensionis eidem Antonio ulterius faciendam tnteneri, nec obligatos existere, ac ob illius non solutionem aliquas censuras, vel poenas de caetero incurrere minimè posse decernimus, prout in cedula concistoriali desuper manu nostra signata,

10 cui solam signaturam quoad hoc sufficere, et ubique tam in iudicio, quam extra illud fidem facere voluimus, plenius continetur, Tibi, ne ex*xx* cessione huiusmodi nimium dispendium patiaris, sed ut statum tuum iuxta Cardinalatus sublimitatem decentius tenere, et expensarum onera, quae te iugiter de necessitate subire oportet, facilius perferre valeas, de alicuius*q* subventionis auxilio providere volentes, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate tibi pensionem annuam mille scutorum similium cum omnibus, et singulis in dicta reservatione contentis exemptionibus, immunitatibus, decretis,

15 et clausulis super eiusdem monasterii fructibus redditibus et provenitibus tibi, quo*ad* vixeris, vel procuratori tuo ad hoc a te speciale mandatum habenti per Alexandrum, et successores supradictos annis singulis integre persolvendam, et per te quo*ad* vixeris, etiam una cum Sanctae Mariae in Via, quae titulus tui cardinalatus existit, ac quibusvis aliis ecclesiis, et monasteriis, etiam concistorialibus, prioritibus, praeposituris, dignitatibus etiam maioribus, et principalibus,

20

25

30

/ caeterisque beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura saecularibus, ac quorumvis ordinum regularibus, quae ex quibusvis concessiōnibus, et dispensationibus Apostolicis obtines, et in posterum obtinebis, nec non quibuscumque fructibus, redditibus, et proventibus eccl^{esiasticis}

5 clesiasticis loco pensionum annuarum, ac pensionibus annuis super similibus fructibus, redditibus, et proventibus dicta tibi autoritate reservatis, et assignatis, ac reservandis, et assignandis, quos, et quas ex similibus concessionibus, ac dispensationibus Apostolicis percipis, et percipies in futurum, ac de bonis tuis testandi, pensiones transfe-

10 rendi, et beneficia conferendi, et quibusvis aliis facultatibus, et indultis tibi concessis percipiendam, exigendam, et levandam, ac in tuos usus, et utilitatem convertendam, nec non omnimodam collationem, provisionem, et dispositionem omnium, et quorumcunque beneficiorum eccl^{esiasticorum} cum cura, et sine cura, aut alias quomodo libet qualificatorum nobis, et Sedi Apostolicae tam vigore regulae alternativa^e,

15 quam alias competentibus, et de quibus pro tempore existens archiepiscopus Capuanus stantibus reservationibus, vel affectionibus Apostolicis disponere non poterit, eadem autoritate tenore praesentium r^{eservamus}, constituimus et assignamus, decernentes Alexandrum, et successores praedictos ad integrum solutionem pensionis per praesentes reservatae huiusmodi tibi faciendam iuxta reservationis constitutionis, et assignationis praedictarum tenorem fore efficaciter obligatos. Ac volentes, et eadem autoritate statuentes, quod ille ex Alessandro, et successoribus praefatis, qui in dictis festivitatibus, vel

20 saltem infra triginta dies illarum singulas immediate sequentes pensionem per praesentes reservatam praefatam per eum tibi tunc debitam non persolverit cum effectu, plapsis diebus eisdem, sententiam excommunicationis incurrat, a qua donec tibi, vel eidem procuratori de pensione per praesentes reservata praed. tunc debita integre satisfactum

25 aut alias tecum, vel cum dicto procuratore super hoc amicabiliter concordatum fuerit, praeterquam in mortis articulo constitutus absolu-

/ tionis beneficium nequeat obtinere: Si vero per sex menses dictos triginta dies immediate sequentes sententiam ipsam animo, quod absit, substinuerit indurato, ex tunc effluxis mensibus eisdem dicto monasterio perpetuo privatus existat, illiusque commenda cessare, et ea
5 cessante dictum monasterium vacare censeatur eo ipso. Quocirca Venerabilibus Fratribus Nostris Faventin. et Urbevetan. Episcopis, ac dilecto filio Causarum curae camerae Apostolicae generali auditori motu simili per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios faciant authoritate nostra pensionem per praesentes reservatam tibi, quoad vixeris, vel procuratori tuo praedicto, iuxta posterioris reservationis, constitutionis, assignationis, ac decreti huiusmodi continentiam, et tenorem integre persolvi, et nihilominus quemlibet ex Alexandro, et successoribus praeditis, quem huiusmodi excommunicationis sententiam incurrisse eis constituerit, quoties super hoc pro parte tua fuerint requisiti, tandem Dominicis, et aliis festivis diebus in ecclesiis, dum maior inibi populi multitudo ad divina convenerit, excommunicatum publice nuncient, et faciant ab aliis nunciari, ac ab omnibus evitari, donec tibi, vel procuratori praefato de pensione per praesentes reservata praefata
10 tibi tunc debita fuerit integre satisfactum, ipseque excommunicatus ab huiusmodi excommunicationis sententia absolutionis beneficium meruerit obtinere. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; non obstantibus voluntate priori, et ordinatione nostris huiusmodi, ac constitutionibus, et ordinationibus
15 Apostolicis, nec non monasterii, et ordinis praedictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus contrariis quibuscumque. Aut si Alexandro, et successoribus praefatis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad praestationem vel solutionem pensionis alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas

/ non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dictae Sedis indulgentia generali, vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi gratiae impediti valeat quomodolibet, vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae reservationis, constitutionis, assignationis, dedreti, voluntatis, mandati, et statuti infringere; vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo quinto Kalendis Septembris pontificatus nostri anno primo.

Io: B. Coronatus.

10 Summar.addit. p.97-100.